



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fvldensivm Antiqvitatvm Libri IIII.

Brouwer, Christoph

Antverpiæ, 1612

Capvt VI. Structurarum inchoata opera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39712

blandiloquo Sturmi quem murmure visum

Suscepit: latisque suis complectitur vlnis;

Ac iuueni consanguineo dat basia pastor.

*S. Sturmi
gubernatio
suauis.*

Hoc igitur habitu animi, & morum suauitate Sturmi, tenellum adhuc Christi gregem complexus; dictu incredibile est, quam facili hac & benignâ gubernandi ratione, morumque eximio candore, omnium ordinum homines sibi monasterioque Fuldensi deuinxerit; vt iam per crebras adeuntium coitiones non fama solùm loci increbesceret, sed cresceret quoque, S. Bonifacio miraculis emicanti oblati muneribus, pristina piorum liberalitas.

CAPVT VI.

Structurarum inchoata opera.

*Cic. de per-
fecto Orato-
re.
Lib. 7. de lin-
guâ Latinâ.*

*Fuldensis
structura
gradus.*

*Loci situs &
natura vbi
cõditum mo-
nasterium.*

QUOD in ædificiorum distributione, prisca homines naturâ duce, factitabant; idem hîc apparet vsu venisse maioribus: qui in operum suorum molitione, seriem eam ædificando secuti sunt, vt primùm necessitati, mox oportunitati, postremò ornatui & decoro seruisse, videri vellent. Quas scilicet naturæ metas, Varro duplici summâ, vtilitatis & elegantiae, complexus est. Non enim domum habere volunt homines, vt sint in tecto & tuto solùm, sed etiam vt voluptas retineri possit; quòd aliud homini, aliud humanitati, satis esse putetur. Ad eum modum, quæ S. Bonifacius ruditer tecta condidit, siue sacra, siue domesticis vsibus aliis destinata, hæc Sturmi primum Abbatem meliora fecisse, & commoditatibus additis, expoliisse constat; Rhatarium onerasse, & impensis quoque immodicis mersisse: Ægilem verò Sturmi consanguineum, summo decoro & magnificentiâ sustulisse & consummasse. Regio interim à S. Bonifacio sociisque conditoribus, capta probatissimi salubrisque cæli; seu solis adspæctum, seu flatus ventorum, seu alias oportunitates spectares. Nam, & apertum Occidentis latus, & Septemtrionaria plaga, probatis Aquilonum flabris vegetantur; & noxium Austrum excludit collis obiectus; alibi, mollibus agitationibus auræ discussæ minimè torpens,

pens, sed vsque vegetum incolis cælum relinquunt. Inde ad amœni & pisce prædiuitis riui lapsum positum monasterium, accliu in colle aquarum exuberantium iuxtâ copiâ, & circum solo pratis pascuisque iucundo & irriguo. Quæ situs ratio stru-cturam alluione tutam, & à mollitudine liberam efficit; va-luitq. circumscriptioni proferendus per ambitum collis, quem denique Abbas proprio domicilio, & aduenis oppido exstru-cto, ad Meridiem occupauit. Porro Bonifacio superstite, & templum, & monasterij cuicumodi surrexisse culmina, litte-ris diplomatum, & in historiâ vitæ Sturmî, satis exprimitur. De templo testati quoque sunt originis propè æquales, Rhaba-nus & eius discipulus Rudolphus, qui celebrant altare ab ipso S. Bonifacio in absidâ Orientali exstructum, dicatumque ho-nori Domini Saluatoris nostri, & sanctis duobus Apostolis: in cuius absidæ Septemtrionalem plagam S. Liobæ corpus ma-gnificè illatum, conditumque fuit. Vitium autem breuî fecit se huius operis primordia, aut obfuisse angustias, Sturmî re-stauratio docet; qui columnis fulciisse templum, & porticum ornasse cõdiendo Martyris pignori, scribitur. Idem aquis intra septa ad varia ministeria deductis, monachorum quoque do-miciliis instaurandis, manum adhibuit. Quam deinde curam Baugolffus & Rhatarius, præsertim oneroso & perdifficili sum-ptu excepere: qui basilicam in eam protulere magnitudinem, vt cryptis denique duabus, magnifico opere, hinc ad Occasum, inde ad Orientem exstructis, absoluti templi decus Aegil Ab-bas auferret. Qui deinde monasterium quoque vnâ omnium suorum voluntate summoque consensu nouum in Occiden-te condidit, cum vetus ad Meridiem, quâ iam ex oppido aditus est in basilicam, stetisset. Hinc de Aegile Candidus ita scribit: *Hic idem venerandus vir, licet iam senio morboque tricatus, lassasset; tamen claustrum monasterij, ex nouo construere cogitauit. Vocantur ad consilium fratres; quaesitum est, in quo loco adificatio claustrî congruen-tius posset aptari: quidam dederunt consilium contra partem Meri-dianam basilicæ, iuxta morem prioris: quidam autem Romano more contra plagam Occidentalem satius poni confirmant, propter vicini-tatem Martyris, qui in eâ parte basilicæ requiescit; quorum consilio ad sensum præbuere priores.* Habent itaque posterî, sapientissi-mum

Oppidum Fuldense.

Templi primi, & omniâ antiquissimi, memoria.

S. Liobæ sepultura.

Opera S. Sturmî & sequentium Abbatum,

Baugolffus, Rhatarius,

Aegilis.

Monasteriû Fuldense in Occidente exstructum propter memoriâ S. Bonifacij.

Proveri
antiquitate
Fuldenses.
STV
9

imum maiorum suorum consilium, cur ab ipsis propè loci incunabulis monasterij septa, vt hodieque cernuntur, affigi placuerit basilicæ parti Occidentali; quò, sicut animis S. Bonifacio illi semper inhærebant, ita nec corporibus vniquam ab illo vel tantillum essent abiuncti. Hæc de structuris, quæ domi susceptæ, satis vniuersè sub quatuor primis Abbatibus; nam de basilicâ nos in loco, de Rhabani mirificis operibus, Rudolphus proprio, quem iam edimus commentario, loquetur.

Opera foris passim inchoata a cellarum & ecclesiarum.

Cum onere nascentis monasterij.

*Cap. 12. sup-
plicis libelli.*

Ludvici Pij Imp. in Fuldensium congregationem animus.

MS. Vita Aegilis.

Modus & mediocritas adificiorum, de quo Cic. 1. de Offic. præcipit.

Ratharij Abbatis adificatio.

Inter hæc, conualescente numero monachorum & aduenarum, seruitiorumque crescente multitudine, foris in omnem partem deductæ coloniarum; vicinorumque solo passim vel ecclesiarum, vel cellarum exædificari cœptæ, eâ frequentia & molitionis ardore, vt oneri & dispendio hanc festinationem sibi esse, primores monachorum ipsi faterentur. Vnde Rathario Abbate, parum secundis suorum animis, hinc rem gerente, monachorum cœtus apud Magnum Carolum contra eum supplicauit: *Vt adificia immensa atque superflua, & cetera inutilia opera ea omitteret, quibus fratres accideret vltra modum fatigari, & familias foris disperire; sed omnia potiùs ageret iuxta mensuram & discretionem.* Atque hoc in genere, vt in aliis item multis, peccatum à Rathario, tum ipsius quæ post secuta est, abdicatio seu eiectio docuit; tum grauis Ludvici Pij Imperatoris querela, Ratharij tempora incusantis, quòd extra modum sumptu & magnificentia prodiiisset. Verba eius prolixè à Candido scribuntur; nos ex iis pauciora delibamus, quibus Aegilem Abbatem recensens electum affatus est: *Immensa verò adificia, Pater, & opera non necessaria, quibus familia foris, & intus fratrum congregatio fatigatur; ex hinc penitus ad mensuram dimitte: & memento, quia sæpè huius nimietatis querimonia genitoris mei ac nostras aures inquietabat. Ad hoc enim me licet minùs idoneum, tamen diuina potentia in hoc subrogauit Imperium, vt essem oculus cæco, & pes claudo; pater essem pauperum; & causam, quam nescirem, inuestigarem: ac per hoc huius religionis non possum utilitatem non loqui.* Hucusque Ludvicus Caroli Magni filius, luxuriam sumptuum in Rathario Abbate castigans, qui sic adificiis curandis intentus erat, vt non domi modò disciplina periret, sed inopum & pauperum quoque curæ decederet; adificiaque struebat, quod solent

solent improbi domini, non tam suis impensis, quàm misero-
rum ærumnis. Cuius tamen ipse facti inuidiam postea, con- *Purgatio.*
dito in Episcopi monte, Mariæ Dei matri monasterio, exstin-
xit, & penitus aboleuit.

CAPVT VII.

Cellarum origo & usus.

NON prætereundum hoc caput erat, quando Fuldenfis
ditio tot Cellis abundat, vt quocumque te vertas, in pa-
gorum ac vicorum nominibus, hæc iis ferme vox agnata cohæ-
reat. Quare imperiti rerum, cùm monasticæ celebrem hac re-
gione famam memoriæ subiiciunt, sic statuunt, ceu locis hisce
olim monachi tamquam cellis inclusi, residem & otiosam vi-
tam egerint. Quæ opinio hæreticorum calumniis affinis, fun-
ditus hîc ex animis hominum euellenda est: quippe, cùm lon-
gè diuersam Cellarum originem & vsum ex huius loci anti-
quitatibus nos eruemus. Etenim, cùm Regum liberalitate &
Christianorum fidelium prompto in nascentis hîc pietatis cul-
tores benefaciendi studio, prædia, fundi, villæque complures,
iam tum monasterij opibus accessissent; quo fructuosior & fi-
delior horum esset administratio, maiorum auctoritate confi-
lioque prouisum est: vt cultioribus fertilibusque locis, pre-
sbyteros monachos præficerent; & ad continendum in officio
seruos & colonos ritè gubernandos, inibi ecclesias exstruerent.
Hos verò presbyteros, Præpositos vocabant: quorum id mu-
nus erat, parochorum instar veterum, congregationi Fuldenfi
ministrare sumptum, & præbere ad victum cultumque neces-
saria; reficere domesticos vltro citroque commeantes, hospitio
excipere peregrinos. Vt igitur apud Priscos & Latinè loquen-
tes, rariùs cella pro cubiculo secreto; plerumque verò & sæpissi-
mè, pro penu & apothecâ sumitur, in quâ res esculentæ & po-
culentæ conduntur, & ex quâ vicissim promuntur: ita maiores
Fuldenfium, cellam appellauère, in quâ penus, frumentum &
annonam sepositam habebant, ad vsum & fratrum & hospi-
tum. Quæ quidem Cellæ à frugi patribus familias, iuxtaque
D religio-

*Cella rei ru-
stica ac fa-
miliaris offi-
cina.
Iis præfetti
presbyteri
monachi qui
dicti Præpo-
siti.
Munus eo-
rum.*

*Cellarius
hinc apud
Columel.
Plautum,
Martial.
Promus cõ-
dus qui Gre-
cis τραινας.
Cella nutri-
ces cœnobita-
rum hospitii.*

Broueri
Antiquitate
Fuldenfes.

STV

9